



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Ricardo Illvstri Regi Anglorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

districte præcipiendo mandamus, quatenus præfatum magistrum ad præbendam & archidiaconatum sibi concessum tam libenter quàm liberaliter admittentes, faciatis eundem vel procuratorem suum præbendam & archidiaconatum pacifice possidere; ut & idem magister in vobis se gaudeat fraternæ dilectionis solatium invenisse, & nos, qui pro ipso puro corde & voluntate sincera scripta nostra dirigimus, devotionem vestram valeamus in Domino merito commendare. Alioquin nos venerabili fratri nostro Elien. Episcopo noveritis injunxisse ut præfato magistro præbendam & archidiaconatum, non obstante contradictione vel appellatione cujuslibet, si ei de canonica concessione constiterit, nostra fretus auctoritate non differat assignare, & faciat pacifice possidere; illos censura ecclesiastica percellens qui se duxerint mandato nostro temerè opponendos. Datum Laterani XVI. Kal. Januarij.

ELIEN. EPISCOPO.

Epist. 479.
Ejusdem argu-
menti.

SI eorum petitionibus &c. *ferè in eundem modum ut supra usque ad verbum* commendare. Ideoque fraternitati tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus præfato magistro præbendam & archidiaconatum, non obstante contradictione vel appellatione cujuslibet, si tibi de canonica concessione constiterit, nostra fretus auctoritate non differas assignare & facias pacifice possidere, illos censura ecclesiastica percellens qui se duxerint mandato nostro temerè opponendos. Datum ut supra.

RICARDO ILLUSTRIS
Regi Anglorum.

Epist. 480.
Ejusdem argu-
menti cum dua-
bus præceden-
tibus.

CVM regnorum status per virorum prudentum consilia de bono semper consueverit in melius prosperari, qui ad ipsorum regimen Domino disponente vocantur, viris prudentibus & discretis favorem debent & gratiam libenti animo impertiri, & ipsorum, prout convenit, intendere incrementis. Cum enim, sicut credimus, magnificentia regia non ignoret qualiter dilectus filius magister P. de Corbolio inter alios Clericos orbis scientia literali præfulgeat, & sua probitate & discretionem sit admodum commendandus, ad dilectionem ipsius

prompta debes voluntate concurrere, & eum tam libenter quàm efficaciter exaudire. Cum igitur venerabilis frater noster Eboracen. Archiepiscopus ei præbendam Eboracen. Ecclesiæ cum archidiaconatu contulerit, super cujus possessione per dilectos filios Decanum & Capitulum Eboracense, prout dicitur, impeditur; pro ipso, sub cujus magisterio nos aliquando extitisse recolimus & ab eo audivisse sacrarum paginam scripturarum, puro corde, conscientia bona, & voluntate non ficta serenitatem regiam duximus literis apostolicis exhortandam; rogantes attentius, & monentes, quatenus prædictum magistrum nostrarum precum intuitu & suæ probitatis obtentu diligas propensius & honores, & ad habendam possessionem pacificam archidiaconatus & præbendæ auxilium regiam serenitatis exhibeas; ita quòd ipse magister ad servitium magnitudinis regiam fortius accendatur, & nos, cum preces nostras, præsertim quas de tam puro corde proferimus, cognoverimus exauditas, ad audiendum petitiones tuas possumus magis favorabiles inveniri. Datum ut supra.

IOHANNI MINISTRO
& fratribus S. Trinitatis.

OPERANTE divinæ dispositionis clementia in sedis apostolicæ specula constituti, piis debemus affectibus suffragari, & eos, cum à caritatis radice procedunt, perducere ad effectum; præsertim ubi quod quæritur, Iesu Christi est, & privata communis utilitas antefertur. Sanè cum tu, dilecte in Christo fili frater Iohannes Minister, ad nostram olim præsentiam accessisses, & propositum tuum, quod ex inspiratione divina creditur processisse, nobis humiliter significare curasses, intentionem tuam postulans apostolico munimine confirmari; nos ut desiderium tuum fundatum in Christo, præter quem poni non potest stabile fundamentum, plenius nosceremus, ad venerabilem fratrem nostrum Episcopum & dilectum filium Abbatem sancti Victoris Parisien. cum nostris te duximus literis remittendum; ut per eos, utpote qui desiderium tuum perfectius noverant, de intentione tua & intentionis fructu ac institutione ordinis & vivendi modo instructi, assensum nostrum tibi possemus securius & efficacius

Epist. 481.
Concurre-
gula juxta qui
vivere debeat.